

1546

*Paulus Pō-
tifex &
Cæsar fa-
dus adver-
sus Germa-
nos inexit.*

*Octavius
Farnesius
Pontificia-
rum copia-
rum impe-
rator.*

*Alexander
Vitellius pe-
ditum, Jo-
annes Ba-
ptista Sa-
bellus equi-
tum præfe-
cti.*

*Germanie
Principum
belli ap-
paratus.*

adversus Germaniæ Principes, & civitates iniit : eo vero Venetos comprehendendi obstinata adeo multorum adseveratione vulgatum fuit, ut Reipublicæ legati, qui Ratisponæ tunc erant, Senatui significaverint, Cæsaris copiis quinque millia Venetorum peditum adscripta nominari. Pontifex, quod valde honorificum sibi esse arbitraretur, adversus Romanæ Ecclesiæ hostes bellum gerere, in ecclesiasticis ditionibus, atque in Hertruria delectus militum haberi jussit: duodecim peditum milia, equites quingenti conscripti fuere; iis cum summo imperio Octavium Farnesium nepotem præfecit; peditum præfecturam Alessandro Vitellio, equitum Joanni Baptistæ Sabello tribuit. Copiæ Bononiam convenere. Pontifici petenti, ut per Veronensem agrum in Rhætos se conferre possent, satis a Senatu factum est. Commeatus abunde ejusdem jussu in itinere suppeditatus. Idem quoque iter Cæsareanis militibus, Senatu jubente, patuit. Ad Cæsaris exercitum variæ ex multis regionibus copiæ affluxerant; ex Pannonia, Hispania, Gallia Cisalpina: complures etiam ex Germania, e Norico, Sicambris, ac Sennonibus, ut ad quadraginta peditum, & quinque equitum millia conficerent. Eodem tempore Joannes Federicus, Saxorum Dux, & Philippus Hessiæ Lantgravius, foederis principes, Germaniæ civitates, ac proceres ad societatem solicitabant, copias parabant, Germanicam se libertatem tueri dictitantes; quos sibi adjunxerant, eos fideles Imperio futuros jurejurando obstringentes, quod Carolus per vim occupare, ac suæ ditionis facere niteretur. In hoc cunctis, & Germanicæ præsernit genti pergratum libertatis nomen facile consensere; Vitembergæ Dux, Comes Palatinus, Augustæ, Argentorati, Ulmæ, Francofurti, Norimbergæ civitates. Ulmæ comitiis votatis, legatorum undique magnus concursus fuit: de belli apparatu actum; nec multo post copiæ Donavertum ad Danubium prope Noricum tanto numero convenere, ut ad peditum octoginta, equitum decem millia accederent; tormenta bellica centum ac triginta numerarentur. His subnixi Cæsaris vires frangere posse sibi persuadebant, tantumque in non nullis spes sese offerebat, ut imparatum, atque immunitum nullis prope Germanici roboris copiis succinctum, Germania prorsus exturbari, & excludi posse arbitrarentur.

Atque